GREGORIUS MAGNUS
Zwettl, um 1200 Seite 41v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



alterius egritudinē corporis in altero
exprimitur egritudo cordis. Hydro
picus quippe quo amplius biberit
amplius sitit. quia et omnis auarus
ex potu sitim multiplicat. qui cum appe
tita adeptus fuerit. ad appetenda alia
amplius anhelat. Qui cum adipiscen
do amplius appetit. huic sitis ex potu
crescit. SEQVIT. Abscondita est
in terra pedica eius. et decipula illi
sup semitam. In terra pedica abscon
ditur. cum culpa sub terrenis cōmo
dis occultatur. Inimicus quippe insidias
ostendit humane menti in terreno
lucro quid appetat. et occultat peccati
laqueum ut animam stringat. qua
tenus uideat quid est quod concupiscere
ualeat. et tamen nequaquam uideat in quo
culpe laqueo pedem ponat. Decipula
uero a decipiendo uocata est. Et tunc ab
antiquo hoste sup semitam decipula
ponitur. quando in actione huius mundi quam
mens appetit peccati laqueus paratur.
Que uidelicet non facile deciperet. si ui
deri potuisset. Sic quippe decipula po
nitur. ut dum esca ostenditur. nequaquam ip
sa a transeunte uideatur. Quasi esca quip
pe in laqueo est lucrum cum culpa. et hu
ius mundi prosperitas cum iniquitate. Dum
itaque a concupiscente lucrum appetitur.
quasi pedem mentis apprehendit de
cipula que non uidetur. Sepe ergo proponun
tur animo cum culpa. honores. diuitie.
salus et uita temporalis. Que mens in
firma dum quasi escam uidet et decipu
lam non uidet. per escam quam uidens appe
tit in culpa constringitur que non uidetur.
Existunt etenim qualitates morum.
que certis uiciis sunt uicine. Namque
mores aspi aut crudelitati aut sup
bie solent esse coniuncti. mores autem
blandi et quam decet paulo amplius le
tiores. nonnunquam luxurie et dissoluti
oni. Intuetur ergo inimicus generis hu
mani unius cuiusque mores. cui uicio sint
propinqui. et illa opponit ante faciem
ad que cognoscit facilius inclinari
mentem. ut blandis ac letis moribus
se per luxuriam. nonnunquam etiam uanam
gloriam. asperis uero mentibus iram. superbiam.
uel etiam crudelitatem proponat. Ibi ergo
decipulam ponit ubi esse mentis se
mitam conspicit. quia illic periculum decep
tionis inserit. ubi uiam esse inuene
rit propinque cogitationis. Et quia per
uersus omne quod agit etiam pati me
tuit. atque hoc sibi ab omnibus fieri esti
mat quod ipse omnibus quibus ualet parat.
recte sequitur. Undique terrebunt eum
formidines. Tales enim contra se omnes
esse suspicatur. qualis ipse esse contra omnes
nititur. Que nimirum formidines quid
in eius actione faciant. subinfertur cum
dicitur. Et inuoluent pedes eius. Pedes quippe
si inuoluti fuerint. liberos gressus
habere non possunt. et nullum capere
iter ualent. quia sua eos inuolumen
ta retinent. Praua itaque desideria ad
pessimam actionem trahunt. sed pessi
ma actio restringit in formidine.